

377.

Erzbischof Wichmann zu Magdeburg spricht in einem Schreiben an den Kaiser Friedrich I. die Bitte aus, derselbe möge seinem zum Erzbischof von Salzburg erwählten Verwandten Albrecht gestatten, auf dem nach Goslar angesetzten Hoftage vor ihm zu erscheinen u. s. w. [1171.]

Hdschr.: Cod. epist. imp., regum, pontif., episc. fol. 498. Kgl. Bibliothek Hannover.

Gedr.: Sudendorf, Registrum 1,74.

Anm.: Der Brief ist im Jahre 1177 geschrieben. Vergl. Prutz, K. Friedrich 2,194.

5

Dilectissimo domino suo Friderico gloriosissimo Romanorum imperatori et semper augusto W. dei et ipsius gratia sancte Magdenburgensis ecclesie archiepiscopus fidele servitium cum devotis orationibus. Cum de Austria reverteremur, domum regis Bohemie intravimus, qui seorsim nos assumens cum cognatis nostris Theoderico marchione et Dedone comite presente fideli vestro S. de Aldenburg familiariter nos convenit summopere postulans, quatinus in memoriam vobis reduceremus magna et multa servitia eius, que vobis et imperio fideliter exhibuit et usque in finem exhibere paratus est, ut hac consideratione gratia vestra clementer respicere dignetur filium eius cognatum vestrum dominum A. Saltzburgensem electum in eo, ut eundem episcopatum ei concedere dignemini. Ad hoc nos respondimus, quod ipse rex optime sciret, ex statu presentis temporis et ex aliis iustis causis vos ei in hac re non posse consentire. Verum tamen quandoquidem ipse electus presens esset, nos ex ipsius ore audire vellemus, quid ipse vobis satisfactionis et honoris exhibere vellet. Vocato itaque eo talia ab ipso audivimus, quod absque detrimento honoris et commodi vestri possibile vobis est eum eodem episcopatu investire. Postulat itaque rex et nos pro ipso, quatinus super hoc verbo in conductu nostro et ducis Saxonie eundem electum ad curiam vestram apud Goslariam venire concedatis, ut, si fieri potest, consilio nostro et ducis ac principum gratiam vestram obtineat. Sin autem in conductu nostro et ducis absque omni molestia in domum patris sui redeat. Ipse enim rex promisit ea conditione, ut hoc fieri concedatis, quod, si rationabiliter et salvo honore vestro eum episcopatu investire non potueritis, nullum inde gravamen sustineat, sed in servitio vestro usque in finem fidelis permaneat. Quicquid itaque super his vobis placuerit, per litteras vestras regi demandare curate, quia bonum nobis videtur, ut hanc ipsius et nostram petitionem clementer exaudiatis. Omnibus namque diebus vite sue rex et amici eius servitio suo vos admonere disponunt, ut memorato domino A. gratiam vestram concilient, quia N. ipse nunc magis quam unquam antea vobis consentit. Consilium nostrum est, ut eum ad curiam illam venire concedatis.

378.

Bischof Uto von Naumburg bekennt, daß Graf Dedo 5 Hufen in Kathewiz ihm aufgelassen, damit er sie der Kirche des heil. Mauritius übertrage. Dagegen hat das Kloster 6¹/₂ Hufe in Radewitz dem Bischofe übergeben und dieser den Grafen zur Erstattung damit beliehen. — Zeugen: Markgraf Otto und Graf Dedo.

1171.

Hdschr.: Or. Perg. Reg. Oo S. 762 No. 5. Ernestin. Gem. Archiv Weimar. S. des Bischofs zerbrochen.

:In nomine sanctę et individue trinitatis.: Uto divina favente clementia sanctę Nuenburgensis ecclesię episcopus. Omnibus Christi fidelibus in perpetuum. Quoniam

40